PROLEGOMENA.

OMnis disputatio nostra cum de illiberali illo bonorum, publicorúmque munerum commercio, quod Veteribus sub AMBITUS nomine veniebat, futura sit; placet ante definire, quid AMBIRE sit, & quo in sensu inde nata vox AMBITUS hic loci nobis sumatur; omnis enim, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

II. Observandum est veteres Romanos incendiorum metu aedes aedibus ita vicinas esse jussisse, ut spatium quoddam vel interstitium relinqueretur, quod AMBITUS dicitur in L.L. XII. Tabul. Varro de ling. lat. l. 4. p. m. 11. AMBITUS *iter, quod circumeundo teritur: nam AMBITUS circuitus, ab eoque XII. Tabul. interpretes AMBITUM parietis circuitum esse describunt.* Festus voce AMBITUS. p. 250. edit. Dion. Gothofredi: *AMBITUS proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum, & semipedis ad circumeundi facultatem relictus* ..... & paucis interjectis. *AMBITUS proprie dicitur circuitus aedificiorum patens in latitudinem pedes duos & semissem, in longitudinem idem, quod aedificium.* *

* CUJAC. Obs. XIX. 21 atque ex eo HEINEC. in Syntag. antiq. sub tit. de serv. rust. & urb. §. IV.
Et huc pertinet Inscriptio vetus Romana in Sadoleti hortis effossa.

INTER DUOSI PARIETES, AMBITUS. PRIVAT. FLAVI SABINI.

BRISSON. Antiqu. ſelect. 1. 2.

III. AMBIRE ulterius erat petere Magiſtratum, verum ſtudioſius enixiusque, quam mores legesque civitatis ferebant; * quoniam vero Romani, dum honores & magiſtratus quaererent, circumire ſingulos ſolebant, prenſare dexteras, rogareque, ut ſe ſuffragiis adjuvarent, factum eſt, ut Vox iſta pro honores quaerere caperetur. **

* Inde vocabulum AMBITIO ORIGINEM ſumpſit, SIGON. de Judic. 11. 30.

** Nec tantum hi ambibant, verum etiam, qui judicum implorabant miſericordiam; unde tam hi, quam illi appellari ſolebant AMBITIOSI ... hinc etiam AMBITIOSA dicebantur Decreta, vel AMBITIOSI juſſus, tam qui gratis, quam qui acceptâ mercede contra jus & aequum in alicujus favorem à judicibus interponuntur. Ulp. l. 4. ff. de Decret. ab Ord. faciend. *AMBITIOSA Decreta Decurionum reſcindi debent.* SUETON. DOMIT. C. 8. *plerumque & in foro pro Tribunali extra ordinem AMBITIOSAS centum Virorum ſententias reſcidit.* Sic judex AMBITIOSUS apud LIVIUM, AMBITIOSAE, & fucatae amicitiae apud CICERONEM.

IV. AMBITUS hoc ſenſu acceptus dupliciter diſpeſcitur: unus popularis, conceſſus, atque etiam laudatus, cum aliquis magiſtratum aut Curationem petendo ſuam operam offert Reipublicæ, Judiciumque de ſe faciendum populo permittit abſque dolo malo; hoc genus nullis legibus prohibetur, ſed adprobatum ſemper, atque à maximis praeſtantiſſimiſque viris exercitum eſt. *

* CICERO de ſe ipſo ep. 15. l. 1. ad Attic. fateri non erubeſcit. *Me AMBITIO quaedam ad honorum ſtudium duxit.* pergit ep. 27. l. 11. fam. *AMBITIO noſtra & vitae diſſimilitudo non eſt paſſa voluntates noſtras conglutinari.*

Egre-

Egregium quoque rei hujus exemplum nobis in ſeipſo ſuppeditat AUTHOR orationis in CRISPUM SALLUSTIUM : *Sed ſi fuerim in honoribus petendis nimis AMBITIOSUS , non hanc dico popularem AMBITIONEM , cujus me principem confiteor , ſed illam pernitioſam contra leges, cujus primos ordines SALLUSTIUS duxit &c.*

V. Alter infamis eſt , & legum ſeveritate notatus , qui aliquando vi , * aliquando dolo, plerumque pecunia & corruptionibus committitur, & unde ſimultates, diſſenſiones , odia & variae corruptelae naſcuntur. **

* Vi dico , ſeu quod in idem recidit , precibus armatis.

** Supereſt *Ambitus*, *Eccleſiaſticus* , qui & SIMONIA dicitur, cum ſacris Canonibus nimis lene vocabulum *Ambitus* viſum ſit ; aſt de hoc aliquid ſcribere actum agere eſſet , maxime, dum in proverbium abiit : *SIMONIAM facillime committi , difficillime probari.*

* PARCIUS iſta Viris tamen objicienda memento.

VI. De illicito hoc AMBITU , & qui in criminis notam incidit, nobis in præſentiarum ſermo erit ; propoſitum enim eſt variorum populorum hac ſuper re inſtituta, legesque percurrere , inde que oſtendere generalem ſemper in hoc ſcelere damnando moratiorum gentium conſenſum extitiſſe, qui conſenſus , dum rectam rationem pro fundamento habuit , lex erit , quo & illos teneri probabimus , qui aliàs ſe ſupra leges eſſe & illarum obligatione ſolutos, profitentur.